




Sammelband

Cc. 138.

ded
bob

at
uud
fe
if co





EPISTOLA DE
 Peccato in spiritum sanctū,
 Vuittembergæ edita.

VUITTEMBERGÆ.

[Bücherhagen, Johannes]

AD LECTOREM.



VIS QVIS ista legis, vide quæso
diligenter quā trepide scripserim, dū
hæc iudicia dei intueor, & ora clemē
tissimum patrem deum, vt nos quā
primum ab omni liberet errore, vt
fulgeat illuminatio gloriæ Euangelii filii dei in cordi
bus nostris, Amen. Nihil hic tibi promittere possum
tu interim iudicato quid & quale sit, est tamen forte
& quod discas, & quo gaudeas.

EGREGIO DOCTORI AC DOMINO D. IOHANNI

Suauenio, Ecclesiae Camineñ Vicedomino, domino suo
semper uenerando Iohannes Bugenhagen.

SALVTEM in Christo Ihesu sempiternā. Esset quidē doctissi-
me Doctor occasio mihi ad te saepius scribendi, q̄ tanta hu-
manitate me quandoq; susceperis in domū tuam, ut nō so-
lum beneficiū cogar agnoscere tum praesens, uerum etiam multum
mihi accessisse honoris apud eos qui norunt me honoratū a te tam
honorato uiro: sed deterruit haftenus tua dignitas, in quo fateor
me nō satis Christianas egisse partes. Deterruit quoq; me huius tem-
poris praelatorū, ut uocant, autoritas, quorū magna pars Euange-
lio etiānum resistit, id quod apertius est quā ut negari queat, uelim
nostri quibus non pessime uolo abstineant, non solū hominū gra-
tia, sed & quā maxime Christi iudicis, qui tandē non impune feret
suū Euangelium sanguine suo & morte confirmatum pessundari,
quod tamen non pessundatur, sed persecutione indies ut uidemus
crescit in domino. Ita. n. Christus Euangeliū surgere testatus est, si
impetus aduersariorū sustineat. Non potest mendax fieri aeterna ue-
ritas. Olim haec in martyribus uidimus, hodie rursus (sit Christo
gratia) in martyribus, id est, Christi testibus uidemus. Atq; hic mi
Doctor meam deprecor culpam. Nam tametsi in numero eorū te
esse credere non potui, ut necdū credo reliquos in Pomerania pra-
latos (quod. n. in uno actū tum rei nouitate tum temeritate quadā
id est, non bene consulto consilio factum puto, ni fallar) tamen
suspiciari atq; uereri non nihil quomodo non potui? At Petrus tuus
immo noster me omni iam dudū suspicionis scrupulo liberū reddi-
dit, is ut saepe mecū de tuo tam Christiano animo loquitur, si scribe-
rem adulatorem agere uiderer, ut maxime non agerem. In quo mi-
raculum (dicam enim corā te liberius) mihi subit, uirū scilicet qui
fere toto uitae tempore, quod audio, iuribus sese humanis inuoluit,
ad ipsum uitae exitū atq; adeo mortis ianuam tam pie de Christo
sentire. Foelix cui haec gratia cōtigat integra. Proinde quantū debeas
Christo seruatori qui usq; in haec tempora, quibus rursus Euange-
lica emergit ueritas & gratia, canos tuos produxerit, haud ignoras.

Illorū nanq; miserrima cōditio est, qui ex radiis Euangelici solis ex-
cæcantur, & gaudent potius contradicere, atq; adeo Christum men-
daci reū facere quā credere in salutem. Quod si ignorantes faciunt
(quanquā nescio quomodo possint qui sese iactant animarū cura-
tores & catholicæ ueritatis defensores de ignorantia excusari) possunt
adhuc si resipiscunt sperare ueniā, & potest pro eis orari uerbis Chri-
sti & beati Stephani, Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.
E quorū numero se Paulus fuisse scribit, grauis olim Christianorū
persecutor, mox uas electionis siue uas electū a deo in quo portare
nomen Christi Iesu coram regibus & gentibus & filiis Israel, ut acto-
rum Apostolicorū prodit historia. Sic enim ait. i. Timot. i. Qui prius
blasphemus fui &c. Hoc addidi in consolationem, si quis norit se si-
militer in Christianā ueritatem, quæ in Euangeliis est & literis Apo-
stolicis, per ignorantiam, quasi bene fecisset, peccasse. Nolim enim
cuiquā desperationis iniicere laqueum. At si scientes ueram esse præ-
dicationem Euangelii, & malam aduersarios habere causam, im-
mo & audientes & legentes Christum, qui est ipsa dei ueritas, ita in
Euangelio pronunciare, ita Apostolos spiritu diuino plenos docer-
e, propter tamen suam & ambitionem & auaritiam resistunt & ob-
loquuntur, ut fere iam fit aut fieri timemus. Hic mi doctor quid di-
cam? Horret animus ad sententiam diuinam. Equidem ex quo di-
uina gratia mihi aliquid intelligentiæ in literis sacris dedit, semper
studui afflictas consolari conscientias, quæ res nuper mihi in malū
cœpit interpretari, de quo tantum abest ut doleam, ut etiam gau-
deam & agnoscam me ob id Christo debitorem. Verū quid inquā
dicam? Non possum inuertere dei sententiam. Tales sunt, pro qui-
bus Iohannes iubet ut non oretur. i. Iohan. ult. Blasphemant enim
in gratiam spiritus sancti quæ data est credentibus. Audiamus Chri-
sti sententiam, cum alibi scriptam, tum Marci. iii. apertius. Amen
inquit, dico uobis, q̄ omnia dimittentur filiis hominū peccata &
blasphemix quibus blasphemauerunt. Quis non læto animo tantæ
benignitatis uerba accipiat? Sed horrendū in eos de quibus loqui-
mur sequitur. Qui autē, inquit, blasphemauerit in spiritū sanctum,
non habebit remissionē in æternum. Et ne ignoraremus quæ esset
hæc tam grauis blasphemia, de qua multi disputant, Marcus aperte

fatis addit. Quoniã, inquit, dicebant, spiritũ immundũ habet. Vidēbat interim Christus, quẽ nihil latet, corda eorũ, quod uidelicet bene intelligebant rem agi per spiritũ dei, & ut ipse ait Luca. xi. in digito dei, & tamen audebant impie blasphemare dicentes. In Beelzebub principe dæmoniorũ eicit dæmonia. Spiritũ immundum habet. Quod intelligebant, propterea addidi, ne deiiciã in hoc horrendũ iudiciũ si qui adhuc possint corã deo aliqua ignorantie excusatiõẽ excusari, nã corã hominibus nihil refert. Excusatos autẽ credo & in ignorantia peccasse, qui post errorem uidentur rectius sentire. Id em̃ signi puto, nõ in totũ scientes peccasse & blasphemasse in gratiã spiritus sancti. Hoc terribile iudiciũ expressum quoq; est, Heb. x. quẽ locũ propterea libenter cito, quod quidã illic uerentur negari & penitentia post baptismũ peccantibus, quod nõ est uerũ, & contra totius sacre scripturæ rationẽ. In eos em̃ tantũ ille locus detonat, qui impie contra agnitã ueritatẽ blasphemant, & omnino cõuenit cũ uerbis Chri. Sic. n. ait, Voluntarie. n. peccantibus nobis post acceptã noticiã ueritatis &c. qui filiũ dei cõculcauerit & sanguinẽ testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliã fecerit &c. Horrendũ est incidere in manus dei uiuentis. Deniq; & ille totus psalmus Deus laudẽ &c. Hoc iudiciũ in Christi & Christianorũ aduersarios exprimit, nõ in fures, ut nunc quidã pessime abutuntur eo psalmo. Horrendã. n. illic illa maledictio prædicat in eos qui obloquuntur, cõtradiciunt, malediciunt ueritati, persequẽtes ueritatis professore. Ait autẽ sic, Deus laudẽ meã ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertũ est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odii circundederunt me, & oppugnauerunt me sine causa. Pro eo ut me diligere detrahebant mihi, ego autem orabã. Et posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odiũ pro dilectione mea. Cõstitue super eum peccatorem, & diabolus stet a dextris eius. &c. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem & mendicum, ad mortificandum corde compunctum. Et dilexit maledictionem & ueniet ei, noluit benedictionem & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem &c. Hoc fit a domino qui detrahit mihi, & qui loquuntur mala aduersus animam meã &c. Ut sciant quod manus tua hæc, & tu domine fecisti eam.

Maledicent illi & tu benedices &c. Induantur qui detrahūt mihi pudore &c. Vides itaq; ex quo scelere maledictiones dei quæ in eo psalmo habentur prodierint. Et certe, cum omnia peccata damnent si non per misericordiam dei pœnitentia diluātur, ut dicitur Gala. v. Manifesta sunt opera carnis &c. & cum nulla sint quæ in quibusdā non excusari possint uel infirmitate uel temeritate, uel alia occasione humana. Hoc solum, si non fit ut diximus errore, plane diabolicum est, & diaboli inuentum nullam nisi inuidiam habens causam. Vnde Sap. ii. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, experiuntur autem illam qui sunt de sorte eius. Et c. i. Impii manibus & uerbis accersierunt illam, nempe mortem, & æstimantes eam amicam contabuerunt, & foedus fecerunt cū illa, q̄ digni sint sorte eius. Vbi & legis de blasphemia in spiritum non dimittenda. Sic. n. ait, Spiritus sanctus disciplinae effugiet dolum & hypocrisim, & auferetur a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Mox additur, Et maledicetur a superueniente iniquitate. Benignus est. n. spiritus ille qui dicitur sapientia, & non liberabit blasphemū a labiis suis, quoniam renum illius &c. Benignus est. omnia enim peccata dimittit. Sic nanq; legis Iohan. xx. Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata remittuntur eis. Verum non liberabit blasphemum a labiis suis. Hoc præterea fuit peccatum Cain, de quo Gen. iii. qui uel fratrem non ob aliud ad mortem usq; persecutus est, quā q̄ manifeste uidit & agnouit in eo gratiā spiritus sancti atq; eum deo acceptum seq; cum suis contemni muneribus. Nam & impii cum piis sacrificant sicut Cain cum Abel, uerum ad illos & ad dona illorum non respicit dominus, immo ut dicitur Prouerb. xxi. Hostiæ impiorum abominabiles quæ offerūtur ex scelere. Agnouit inquam hanc gratiam in fratre Cain, quin & deus ipse sua uoce monuit eum ne cepta perficeret, ut interim non miremur si contemnatur uerbum ipsum dei, ore hominum prolatum. Perstat tamen ille & cæcus & surdus in sententia, & fratrem pietatis amantem occidit nunquam agniturus peccatum (num, inquit, custos fratris mei sum ego) nisi in angustiis animi deprehensus a deo fuisset. Hic enim cœpit nimirū uidere quo intrauerat, qua uero exiret uidere non potuit. Maior est inquit iniquitas mea quā ut ueniam merear. Impiis enim ostendit

iudicium sed non iustitia, iustitia inquã illa fidei quæ sola iustificat. Agnoscunt quidẽ quandoq; suam impietatem, & confitentur delictum, sed non nisi in angustiis deprehensi, a quibus si possent liberari, de petenda ex toto corde uenia ne cogitarent quidẽ, & si petũt nihil aliud respiciant quã quod patiuntur. Sic Esau non inuenit pœnitentiæ locum, quanquã cum lachrymis inquisisset eam, ut scribit Heb. xii. Peccati enim, q; diuinum primogenituræ ius uendiderat, non fuit hæc pœnitentia, sed damni quod patiebatur, quod iterũ dico, ne quis in Epistola Hebreorum etiam hunc locum male intelligat. Nam abiit Esau (ut historia habet) & in odium parentũ accepit uxores sibi alienigenas. Tantum enim abfuit ut de peccato eum pœniteret ut & addiderit. Sic Pharaõ plagatus, ut Exodi habet historia, non semel dixit, Peccaui iu dominũ. orate pro me ut tollat plaga. Cessante uero plaga semper obstinatio factus est. Nolim hic mihi obiicias quod illic sæpe dicitur, Ego indurabo cor Pharaonis &c. si deus indurauit eius cor, ergo fuit Pharaõ absq; culpa. Non hic disputo de dei sententia sed trepido. Breuiter hoc dico. Vide ne deũ iniustum facias qui tam horrende perdidit Pharaonem. Iudicium dei semper iustum est, & si tibi non uideatur. Possum tamen & hoc dicere, Deus nouit omnia antequã fiant, ergo nouit sibi Pharaonẽ rebellem futurum, nouit quoq; quid ipse rebelli esset illaturus, foris scilicet horrendas plagas & toti mundo stupendas, & intus multo magis (si quis uidere posset) horrendam cordis indurationem. Hæc & scriptura aperte dicit. Antequã enim legis, Ego indurabo &c. scribit Exodi. iiii. deus dicere sic, Ego noui q; nõ dimittet uos rex Aegypti ut eatis, nisi per manum ualidam. Rebellem ergo deus merito indurauit. Hoc interim dico de Pharaone humano iudicio. Caterum Paulus Roma. ix. nostrum non esse de his dei iudiciis iudicare pronunciat. Hoc autem Pharaonis peccatum proprie fuit peccatum in spiritum sanctum de quo loquimur. Signa dei magicis primum ad scripsit artibus, licet magi ipsi coram eo dicerent, Digitus dei hic. Quæso te o homo quisquis es, nonne dignus est utroq; priuari lumine, qui in claro lumine uel uidere noluit uel non uidere se dixit? Ita fit illis qui manifestam dei ueritatem conuertunt in mendaciũ, quos tradit deus in reprobam mentem, ut legis Roma. i. Sic Iudæi

primum ex diuinis & uerbis & operibus cognoscebant Christum, nam sic princeps illorū Nicodemus ait Iohan. iii. Rabbi scimus quia a deo uenisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit deus cum eo. Verum reprehensi de sua ambitione, auaritia, superstitione, uulgi seductione, & humanis traditionibus, ut Euangelia testantur, cœperunt odisse, & excæcati sunt & parere Christo deinceps non potuerunt. Nemo hic me captet in uerbis, Non disputo, de iudiciis dei loquor. Iohannes hæc aperte dicit. c. xii. cum, inquit, tanta signa fecisset coram eis nō credebant in eum, ut sermo Esaiæ impleretur quem dixit, Domine quis credidit auidi tui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorū, & indurauit cor eorum, ut non uideant oculis & nō intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Hæc dixit Esaias quando uidit gloriam eius, & locutus est de eo. Qui multa loquuntur & multum contendunt de posse facere, ut ita loquar, reprehendant ista dei iudicia, immo uideant quid ipsi possint. Ex his potes quoq; utcumq; intelligere, quare benignus & misericors dominus, qui omnia donat ex corde inuocantibus, non irrisoribus qui scelera cōmittunt, cogitantes cū confessi fuerint deleta esse, & rursus licere peccatis uisdem inquinari, rursusq; confiteri, quasi regula sit alternis peccare & confiteri, hoc est, secundū eos gloriari de peccato. De irrisoribus dico, non de infirmis & peccatoribus quos Christus libenter recipit, quod semper suam agnoscunt miseriam, quia semper se sentiunt peccatis grauari. Quare inquā qui omnia donat peccata hoc unum iudicet irremissibile, quia non possunt ad ueram resipiscentiam sine poenitentiam redire, quos excæcauit sua malitia, ut dicitur Sap. ii. ubi lege totū caput ut intelligas de quibus excæcatis loquatur. Sic & Epistola ad Hebr. c. vi. dicit. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt etiam bonum dei uerbum, uirtutesq; sæculi uenturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium dei & ostentui habetes. Terra enim &c. Talia quando ex scriptura nobis obiiciuntur, quid dicemus, negabimus ne poenitentiam peccantibus Christianis, ut olim quidam

hæretici? Absit. Sed hæc Epistola negat poenitentiam? Negat quidem, sed prolapsis ab illuminatione in cæcitatem, a gustu doni cœlestis ad saporem carnalis sapientiæ, a participatione spiritus sancti ad consortium spiritus immundi, id est, illis qui post agnitam ueritatem ab ea per infidelitatem cadunt & blasphemant eam. Ergo illud, prolapsi sunt, non intellige de prolapsis in fornicationem, homicidium &c. Dauid accepit ueniam, meretrices & publicanos suscepit Christus, qui apud Corinthios suam nouercam acceperat uxorem absolutus est ab Apostolo, & tota sacra scriptura dulcedinem diuinæ misericordiæ miseris cōmendat peccatoribus, sed intellige (quod & ipse cōtextus ostendit) de prolapsis ab illuminatione uerbi diuini quod acceperunt. Hoc enim est Christum cum latronibus in cruce deputare & ostentui habere, quod alibi dicit filium dei conculcare & sanguinem eius pollutum ducere & spiritui gratiæ contumeliam facere. Quādo enim peccas peccato utcunq; graui, licet hoc tibi summe cauendum, Incipis enim excidere a fide nisi mox respicias, & contristas (quod in te est) spiritum sanctum. Sic enim ait. **Ephe. iiii.** Nolite contristare spiritum sanctū dei in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur a uobis cum omni malitia. Tamen nondum penitus a gratia, quā accepisti in baptismo, excidisti. Cum uero reiecta fide cordis, ueritatem dei quā noris incipis in fratre odisse & blasphemare & persequi. Iam penitus excidisti, & illius peccati de quo Christus loquitur, & prædictæ scripturæ, reus factus es. & iam non solum contristas spiritum dei, ut cæteri peccatores, quæque damnati sunt, sed redire possunt, sed & contumeliam spiritui gratiæ facis, & dei filium conculcas, & cum irrisoribus Iudæis crucifigis & ostentui habes, & redire non potes. Horrendum hoc, cuius ego peccati nullum audeo reum facere, sed certe fructus tales in quibusdam uidemus, lupis potius quā ouibus. Oues errantes Christus suis imponit humeris (in quo uides nihil esse satisfactionem humanā) At lupos quoq; putas ille pastor inmittet in stabulum? De quibus **Prouerb. i.** Eo q; detraxerint siue maledixerint uniuersæ correctioni meæ, comedent fructus uix suæ, suisq; consiliis saturabuntur. Et si hoc exemplum hic ualet, Christus illuminasse quidem cæcos legit,

b

bis tamen eundem illuminasse non legitur. Infirmi peccatores, ut omnes sumus, licet sæpe cadant & offendant, semper tamen uident hunc suum casum & offensionem, agnoscuntq; corâ deo infirmitatis & fragilitatis suæ lapsum, & ueniam precantur, qui semper per spiritus illuminantis gratiam uident qua sit regrediendum. Id quod sic legis Proverb. xxiii. Ne insidieris & quæras impietate in domo iusti, neq; uastes requiem eius. Septies enim in die cadet iustus & resurget, impii autem corruent in malum. Et c. xii. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo. Præterea exemplis prædictis accedit & Iudas, qui dudum antequâ proderet saluatorem dictus est diabolus, ut legitur Iohan. vi. Hic confessus peccatum suum laqueo animam permisit. Saul primus rex in Israel a domino electus, ut reprobus factus sit, ut David sanctum adolescentem ob dei electionem persecutus sit, ut ad magiæ superstitionem quam prohibuerat, defecerit, utq; sibi tandem manum in summa desperatione consciuerit nouimus. Possem & alia producere exempla, sed hæc quæ diximus clariora sunt ad cognoscendum, quodnam sit peccatû in spiritum sanctum, quod omnino est peccatum impiorum & qui iam damnati sint, uerû a deo occultum secundum dei iudicium, ut nos neminem illius reum ostendere possimus, nisi eos quos iam in scriptura iudicatos legimus, quorû omnino similes sunt qui ueritatis Euangelicæ iam sunt impugnatores, sed quâ scientes id faciant uiderint ipsi, iudicet Christus. Igitur repetentes secundû Euangelii sensum dicimus, unum esse peccatum in spiritum sanctum quod Christus dicit irremissibile, manifestam scienter impugnare dei Christi q; seruatoris ueritatem, ac ueritatis diuinæ odisse & persequi professorem, non ob aliud quâ ob confessam ueritatem. Fuerunt quidem inter quos Augustinus qui etiam aliis nominibus uocauerunt peccata in spiritum sanctum, sed si pressius intuearis in idē recidunt omnia. Quod si inuenias quædã apud Interpretes quæ non contineantur sub eo quod diximus, ea penitus pro peccatis in spiritum sanctum secundû sensum Euangelii non habeantur, ne contingat alicui quod mihi adhuc adolescenti, dum confessorus didici, ut uulgo male fit, ex libello de confessione inscripto, (utinã propediē perdant libelli tã a Christiana ueritate alieni) didici

inquā plura esse peccata in spiritū sanctū, inter quæ tunc referebam
peccata illa uulgaria. Stultius faciunt pastores qui docent suos ut cō
fiteantur, peccaui ea peccata quæ grassantur in spiritum sanctum.
Nam cum quandoq; audiunt ea peccata non remitti, & hoc ore
Christi sic pronounciari, quid putas aliqui cogitabunt? Hoc peccatū
non est erroris aut infirmitatis, aut deniq; ex illis quibuscunq; quæ
humana cupiditate fiunt, etiamsi grauis sit in deum blasphemia, sa
tis triste peccatum & omnibus Christianis summe cauendum, sed
est desperatæ maliciæ, contra conscientiam scienter contra dei ueri
tatem & manifestam spiritus sancti in hominibus bonitatem pro
nunciantis. Blasphemia in patrem & filium errore potest fieri & ig
norantia, ut si quis infideli ore deroget diuinæ maiestati, quæ licet
in creatis conspiciatur, ut dicitur Ro. i. tamen est in se incomprehen
sibilis, fallitur ille errore licet impio. Et si quis blasphemet filiū pro
nobis incarnatum, scandalo carnis assumptæ forte decipitur. ut &
legis. i. Corint. i. Si autem manifestam audieris a spiritu sancto in
Christo, in prophetis, in Apostolis proditam ueritatem, & uideris
in fratre manifesta opera quæ solus spiritus dei in eo potest operari,
sanam scilicet doctrinam, charitatem, dei timorem, gaudium spi
ritus, pacem, patientiam, modestiam, fidem & reliqua quæ fru
ctus sunt spiritus, & incipis odisse quia ueritatem loquitur, quia bo
nus est & tui dissimilis, audesq; dicere, mendacium est, non est ue
rum, quicquid agit stultitia est. Nonne hæc blasphemia spiritus dei
est, quem dicis esse mendacem, quem dicis esse stultum? quin & in
sistis eodem & ueritatis & pietatis odio, ut uel uerbo capias homi
nem uel facto, si forte infirmitate labatur. Homo nanq; licet etiam
sanctus, tñ homo est, & angelus de cœlo tibi non prædicabit. Hic o
homo qsq; es, hic ille laqueus insolubilis est, refer pedē quā primū.
Nā in hūc laqueū te progredi uidere possum, quādo autē plene cap
tus sis uidere nō possum, est. n. qd' diximus occultū dei iudiciū. Nec
ualet excogitata illa glossula, qua dicūt ideo dici peccatū irremissi
le, qd' sit uix & cū difficultate remissibile. Ita scilicet eludimus uerba
facratissima Christi? Nōne satis aperte dicit ipse. Mat. xii. Omne pecca
tū & blasphemia remittit hominib9. blasphemia autē spūs nō remit
titur. Et q; cunq; dixerit uerbū cōtra filiū homininis remittitur ei. At

Neq; hic neq; in futuro remissionem accipiet qui in spiritum sancti
blasphemauerit. Et in Marco, Non habebit remissionem in ater-
num? Neq; hic addendum, nisi pœnitentiam egerit, Nam pœni-
tentia omnia alia peccata & blasphemiae diluuntur, non autem hoc,
ut aperte saluator pronunciat, & sat exemplorum ex scriptura pro-
duximus, quibus hoc terribile iudicium in hominibus completum
uidemus, non q; hic pœnitentiam illam Euangelicam (non quam
nunc fingunt exteriorem) infirmam putem si adefset, sed q; nun-
quã aderit. Hinc & impœnitentiam quidam uocauerunt, alii incre-
dulitatem qua non creditur remissio peccatorũ, alii aliter. Huc ad-
do, q; nuper uir quidam doctissimus tentandi gratia cœpit me ur-
gere dicens. Quid faceres si quis illi peccato obnoxius a te rogaret
absolutionem? num negandam duceres propter Christi sententiã?
Respondi, Non negarem. Aut enim solis uerbis petit, & non me sed
ipsum deceptum iudico, deoq; illusisse, aut ex corde, & signum ha-
beo non eum in illam penitus cecidisse Christi sententiam licet etiã
incidisse se uereatur, nam & hoc uereri salutis adhuc signum est & do-
num spiritus. Quapropter ne quod de hoc peccato scribimus qui-
busdam fiat laqueus, Dico humano quidem consilio, non tamen
absq; exemplis. Qui intelligit se odientem fuisse ueritatis diuinæ &
persecutorem quantumcunq; grauem sed errore seductum, ut Pau-
lus erat. Hic gratias agat deo cum q; non sciens fecerit tum q; iam il-
luminatus errorem cognoscat. Qui uero se ita reum & blasphemũ
fuisse agnoscit, ut nihil prætendi coram deo queat, quin sciens uo-
luntariusq; ueritatem & bonitatem dei persecutus sit & negauerit,
atq; hoc agnoscens dolet ueniamq; precatur. Hic nõ desperet. Nam
non agnosceret nec ueniam precaretur si penitus in illam sententiã
incidisset, non magis quã diabolus ipse & princeps mundi qui iam
iudicatus est. Novit in eo homine adhuc Christus quo tegat grande
peccatum apud patrem, licet homo ipse ignoret, atq; hoc ipsum
signum salutis puto q; non inuenit homo in se quo tantam excuset
impietatem. In reprobum autem sensum traditi semper quærunt in
corde uerba maliciæ ad excusandas excusationes impietatis. Atque
hic exemplum Petrus esto, qui nihil habuit quod prætendere po-
tuit iuxta blasphemiam, quæ potuit iudicio humano uideri blasphe-

nia in spiritum sanctum, sed Christus occultorum cognitor alter
iudicat. Venia enim mox secuta mihi declarat Petrum in eam sen-
tentiam, de qua nunc multa diximus non prolapsam. Ita quoque iu-
dicarim de iis qui post eam etiā blasphemiam quæ potuit blasphe-
mia in spiritum uideri, ipsius etiam peccantis iudicio, ex corde toto
ueniam petere possunt. In hac mi Doctor dum ad te scribere cupio
incidi potius quā hæc quæsierim, quorum tamen non me poeni-
tet, q̄ sciam multos hic hæere. Scriberem insuper alia, nisi uel his
Epistolæ modum excessissem. Tu interim ora Christum pro me &
Vale. Ex VVITTEMBERGA Anno Christi M. D. XXI.
Feria sexta ante Natiuitatis Mariæ dei genitricis.

DE LECTIONE PSALMORVM.

Rursum ego ad te uenerande uir & Doctor egregie, Nescio qua
occasione de peccato in spiritum sanctum scripserim, deus uiderit. uerū
quod modo dicturus sum tu coegisti. Semel. n. atq; iterū & tertio ni-
fallor huc scribens postulas, ut aliqd qd̄ ad psalmos Dauidicos per-
tineat tibi impartiar. Hic mi Doctor ego te debebā audire, sed dua-
bus potissimū causis nihil moror proferre qd̄ sentio. Primū, q̄ ita
uis, Deinde, quia non erudita uis, alioqui ex doctoribus talia que-
sisses quorū magna cohors est Vuittebergæ. Quatuor ergo accipe.

¶ Primū, Augustinus in prologo in psalmos, quicquid egregiū
est psalmis tribuit, & nescio quid nō. & licet uere tribuat tamen inte-
rim uerba tantū sunt. Nemo utilitatē psalmodi nisi experientia dis-
cit, ad quā nunquam psalmodi illi secundū præscriptū murmu-
tores peruenient. Fides ut est fundamentū salutis atq; adeo ipsa sa-
lus, ita & in intellectu psalmodi immo & totius sacre scripturæ prin-
cipiū est, quēadmodū psallimus, Principiū siue caput uerborū tuo-
rū ueritas, in æternū oīa iudicia iusticiæ tuæ. Hanc affer fidem ut oīa
indubitato credas, & multū promouisti. Fiet. n. spiritu dei qui illic
loquit, ut turbatus in cōscientia tua de peccatis, de horrore mortis,
de iudicio dei, ut interim leuiora, quæ in reb⁹, fama & corpore acci-
dunt, taceam, fiet inquā ut nunquā a psalmo quicunq; tandem sit
absq; spiritus cōsolatione discedas. Fiet itē, si quid mens tua auersa
sit dei timore neglecto, ut per psalmū admonitus resipiscas deumq;

uerearis. Nihil est sacrū quod in psalmis non discit. Sacra. n. canunt Christi mysteria incarnationē, mortē, glorificationē, ex quibus nō frigide intellectis fundatur fides & roborat. Fides producit charitatem. Illa deo unit ut simus cū eo unus spiritus unitq; Christo ut simus cū eo una caro. Hæc uero proximis ita sociat ut simus alter alterius membra. Itaq; cū fides sit nostra salus & præter eam nihil, eaq; in psalmis doceatur, nimirū spiritu qui eos dictauit efficaciam gratiæ cordi infundente, in psalmis oīa sint necesse est. Nihil tam auersat psalmus quā doctrinas prophanas, id est, non sacras. sic. n. inquit. Doce me facere uoluntatē tuā. Doce me iustificationes tuas &c. Sic præcabat propheta ille spiritu sancto plenus, ut tandē erubescamus qui quæ salutis sunt putamus nos optime scire, cū tamen tota aberremus uia. De doctrinis nō dei, sic ait. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes sed nō ut lex tua. Errauerūt ab utero, locuti sunt falsa, furor illis secundū similitudinē serpentis &c. Insurrexerūt in me testes iniqui & mentita est iniquitas sibi. Hi sunt ueri inimici contra quos queritur Christus in psalmis, & cū eo Christianus, alii. n. tantū corpora perdunt, ut est in Euangelio, hi etiā conscientias ligare tentāt.

¶ Secundū, In prophetis præter hoc q; prophetæ nunc in persona propria, nunc in persona uel piorū uel impiorū loquūtur, quandoq; introducūt persona dei patris loquens. ut Esa. liii. Propter scelus populi mei percussi eū. Quandoq; persona filii. ut Esa. lxi. Spiritus dñi super me &c. quod patet ex capite. iiii. Lucæ. Ita & in psalmis Christus quādoq; loquit, ut, Deus meus deus meus quare me dereliquisti, Diuiserunt sibi &c. Foderunt &c. Quādoq; pater loquitur, ut, Filius meus es tu &c. Et ego primogenitū ponā illum &c. Sede a dextris meis &c. Sæpius autē propheta loquitur aut certe spiritus in propheta, nunc in persona tribulati & peccatoris gementis, nunc in persona liberati, gaudentis & laudantis, nunc in persona doctoris, prophetæ, & dei cōsolationes exhibentis, quæ oīa facile discernere licet. Vnde Dauid de se. ii. Reg. xxiii. Dixit uir cui constitutū est de Christo dei Jacob, egregius psalter Israel. Spiritus dñi locutus est per me, & sermo eius per linguā meā. Iam uero multos psalmos esse de Christo dubitare nō poteris, si testamentū nouū euoluas, ex psalmo. xv. & c. ix. testimoniū profert Petrus Act. ii. & saluator Matth.

xxii. ut nunc reliqua taceam, quæ passim inuenies. Hæc dico, ut nō conuertamur ad irridendas Iudæorū fabulas. Bene intellexeris psalmos si cū Euangelistis & Apostolis intellexeris. Vnde Christus Lucæ xxiii. Necessè est, inquit, impleri oīa quæ scripta sunt in lege Moisi & prophetis & psalmis de me. Christus a Dauide plus canit, q̄ Dauid cum esset propheta norit eū de fructu uentris sui proditarū, superq; soliū & regnū eius sessurū ad confirmandū illud nō mundana potentia sed iudicio & iusticia in sempiternum, ut dicitur Esa. ix. Et propterea Christus in prophetis non solū filius Dauid sed & Dauid appellatur, ut psalmo. lxxxviii. & Oseæ. iii.

¶ Tertiū, Etiā uerba Christi tua sunt, id quod luce clarius est cū de peccatis loquif. Cū Christo. n. sumus maledicti, benedicti, primogeniti, reges, sacerdotes Apoc. i. & v. filii dei Io. i. atq; adeo dii regnaturi in dextris dei. In primis persecutio eius & passio ad te pertinet glorificatio eū impossibile est ut non succedat, ut dicit Ro. viii. Sic Christus Iohā. xv. Si me persecuti sunt & uos persequent, si sermone meū seruauerūt & uestrū seruabunt. Sic & Matth. xxv. Quod uni ex minimis meis &c. Sic quoq; clamat e coelis, Saule Saule quid me persequeris? Cur ergo cū in Christo Christus sim nō utar in psalmis uerbis Christi? Dispereā si pater quicquā tibi negare poterit quando & cū Christo & uerbis Christi accesseris, ut dicere audeas. Respice in faciē Christi tui. Historiā autē ueteris populi quæ in psalmis sæpe occurrit, uide ut omnino secundū Paulū propter te scriptā intelligas. Præterea si uerbū aliquod perfectæ sanctitatis occurrerit, ut est illud, In toto corde meo exquisiui te. A iudiciis tuis nō declinaui &c. Vide ne nō dicas, ne immutes, uerbū. n. est spiritus, sed interim dole te tantū a spiritu abesse ut hoc ex anīo dicere nō possis, agnoscens tñ id te corā deo debere, & iccirco dānationis esse reū, nisi fides in Christum & fiducia oīa laxaret, & reputaretur nobis ad iustitiam.

¶ Quartū, Personæ grāmaticæ & numeri in prophetis subinde fit mutatio. ut Dñi est salus & super populū tuū benedictio tua. Eripe me dñe ab hoīe malo, a uiro iniquo eripe me. Qui cogitauerit &c. Et si qd aliud est, ipse usus quo trahimus psalmos ad affectus Christianos, imo ipse spiritus Christi docebit, qui, ut dicit in Apoc. habens clauem Dauid claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit,

Cui soli gloria Amen.



ULB Halle 3
004 812 611


5b f





